

cana, gallica p. p. bene versatus, si ex hoc fonte Tibi ad manus vtilis esse poterit, studia sua offert.

Tabulas pictas XII. operis conchyliologici Regenfussiani, vt spero, jam accepisti, cum textus parte jam impressa. Misi hoc convolutum per D. Doct. Lamberg, in aula stochholmiensi sacerdotem designatum, per Havniam iter facientem et in patriam redeuntem seque offerentem ad fidam eius traditionem. Postquam illud jam traditum et inter alias sarcinas absconditum erat, Ille demum confitebatur, se forsitan per aliquot hebdomades Gothenburgi commoraturum fore. Qua re percepta, convolutum retrahere non valens, rogavi vt in hoc casu illud sine mora sub involucro et inscriptione ad Academiam scient. regiam per postam transmitteret, quod ipse statim fecissem, nisi hanc occasionem meliorem iudicasset, convolutum istud ab injuriis pluviæ melius et tutius defendere, cum picturæ humiditatem non ferant. Versus finem huius anni hoc opus, scil. quoad tom. I. quod per aliquod tempus interruptum fuit, absolutum fore spero, quod vt assensum et laudem Tuam, summi tamquam Naturalistæ mereatur, est quod opto.

Me novam systematis Tui naturæ editionem avide esurire in litteris per Dom. Lambergium missis jam prodidi. Scio quidem perbene, plurimos celebriorum Auctorum non solere in novis conditis plagas jam impressas ante plenarie absolutum et editum opus cum quoquam communicare, ex rationibus satis cognitis; ego quidem in hac re non scrupulosus sum, nec fui; et si hoc rationes istas apud Te remove valet, si polliceor, me cum nemine plagas istas ante plane absolutum et editum opus communicaturum neque me inde aliquid sub meo nomine decerpturum, admodum aveo plagas jam impressas accipere, quia fames mea vix plenariam editionem expectare valet. Gratum et pergratum mihi hisce plagis facies donum. Acquiescam tamen, si rationes Tibi hoc non permittant.

Tamquam gemma primi ordinis in celeberrimorum Eruitorum Corona diu adhuc vive et vale et me Amicitia Tua dignari perge. Dab. H. d. 26. Augusti 1757.